

**De Judiciis Ecclesiasticis Ad Germaniæ Catholicæ
Principia Et Usum**

De iudiciis criminalibus

Zech, Franz Xaver

Ingolstadii [u.a.], 1766

Titulus XIX. De Sacrilegiis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68185](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-68185)

cet 27.). Hæc & similia alia intelligenda sunt, si perjurium ordine judicario comprobatum, aut notorium sit: extra notorietatem facti vel juris, non deberet, qui ejusmodi reatum contraxit, post peractam poenitentiam in jam susceptis, vel suscipiendis ordinibus impediri 28.). Varios casus, in quibus ille, qui contra juramentum videtur agere, reatum perjurii non contrahat, retulimus in priori opusculo de Jurando.

TITULUS XIX. DE SACRILEGIIS.

Conf. Lib. V. Decretal. Tit. XVII.

S. 232.

Sacrilegiam SACRILEGIUM ex primæva nominis sui etymologia significat fursum rei sacræ: extendi tamen solet hoc nomen ad significandam quamlibet injuriam aut violationem rei sacræ, ita ut omne peccatum contra religionem dici possit sacrilegium. Cum autem per rem sacram hoc loco non

27.) C. 7. XXII. q. 4.

28.) Q. ult. de Tempor. ordinat.

non intelligatur ipse Deus, sed creaturæ publica autoritate ad DEI cultum destinatæ; hinc per sacrilegium solemus intelligere crimen, quo ejusmodi creaturæ impie tractantur. Hæc sacrilegii qualitas potest afficere ferme omnia crimina, quando committuntur cum violatione Ecclesiærum aut rerum sacrarum. Duo exinde sequuntur effectus, primus quidem quod ejusmodi crimen, alias ad forum seculare pertinens, fiat fori mixti, ac etiam subjaceat cognitio- ni Judicis Ecclesiastici. Alter ef- fectus est, quod crimen sacrilegia infectum majori poenæ subjaceat. Patebit hoc ex iis, quæ de variis cri- minibus in subjunctionis titulis dicen- tur. Hoc loco annotare lubet, quas notiones de sacrilegiis præbeant Le- ges Civiles & Canones: subjunge- mus poenas in his statutas.

§. 233. Definitur sacrilegium *Vio- Personæ- latio rei sacre*, ut *sacra est*, scilicet *le;* quantum repugnat cultui **Divino**, ad quem res est destinata. Igitur com- mittitur sacrilegium contra personam, contra locum, & contra alias res cul- tui Divino dicatas: adeoque est per- sonale, locale, & reale. Sacrilegium per-

personale est violatio personæ sacrae,
id est, per sacros Ordines, vel per
statum religiosum, ejusve aliquam
participationem ad cultum Divinum
dicatæ. Fit autem hæc violatio per
violentam manuum injectionem con-
tra privilegium Canonis 29.) ; per-
trahendo personas Ecclesiasticas ad
forum Judicii secularis ; exigendo
ab iisdem tributa ; per luxuriam ex-
ercitam a persona vel cum persona
sacra 30.).

Locale;

§. 234. *Sacrilegium locale* est vio-
latio loci sacri seu religiosi, exer-
cendo actum in Ecclesia, quo ipsa
polluitur 31.) ; utendo Ecclesia, seu
vulgari quodam loco ad actus prefa-
nos, præsertim in se peccaminosos,
uti furtum, occisionem &c. ; violando
immunitatem loci sacri, per violen-
tam effractionem aut spoliationem
Ecclesiæ, item per violentam abstra-
ctionem personæ ex loco sacro, in
quem tanquam in asylum confugit.
Supra Tit. III.

§. 235.

-
- 29.) C. si quis suadente. XVII. q. 4.
30.) De sacrilego coneubitu dicetur ad
tit. de criminibus carnis.
31.) Vid. dicta de Jur. rer. Eccles. sect. I.
tit. 3,

§. 225. Sacrilegium *reale* est viola. *Reale.*
tio rei sacræ , distincta a personis &
locis sacris : per abusum sacramen-
torum ; per profanationem vasorum
sacrorum ; per inhonorationem sa-
crarum reliquiarum aut imaginum ;
per abusum S. Scripturæ ad confir-
mandos errores , ad jocos , cantus
lascivos ; per defraudationem deci-
marum. Quamvis sacrilegium po-
tissimum fiat per actum positivum ,
& specificetur a materia , circa quam
committitur , sæpe tamen est pecca-
tum omissionis , uti sacrum fontem
baptismalem non servando immunem
a fôrdibus , sacra vasa non purgare ,
lavare &c. De his & similibus vi-
deantur Theologi Morales 32.).

§. 236. Ex his satis intelligimus ,
quid nomine sacrilegii , vel criminis *Varie
nominis
hujus ac-
ceptiones*
sacrilegi , sacri Canones intelligent.
Si aliorum jurium & populorum sen-
sum de sacrilegio inquiramus , repe-
riemus in primis apud antiquissimos
autores latinos & græcos , nefandis-
simis quibusque sceleribus notam sa-
craligii inustam esse , quem loquendi
modum

32.) In Jure Canonico de hac re tractatus
ad C. 2. de Cust. Euchar.

modum etiam Sancti Patres non raro usurparunt 33.). Si specialiorem Sacrilegii acceptationem consideremus, prout illud in rebus sacris consistit, etiam hoc sensu non eadem apud omnes erit criminis istius indeoles; cum enim res sacræ respectum ad religionem habeant, mirum non est, varias formari Sacrilegii Ideas inter illos, qui varia religione utuntur. Quod uni pium videtur, alteri sacrilegium est. Manendo intra limites Germaniz nostræ, quamvis Protestantess dictamina Juris Canonici in Judicialibus frequenter amplectantur, in crimine tamen Sacrilegii multum discrepant: parum nostra refert, an illi suas Ecclesias, earumque ministros rebus sacris aut profanis annumerent, ac eorum violationem a sacrilegio absolvant: modo a calumniis abstineant, quando principia Catholicorum referunt. Ne quis igitur,

33.) CICERO in Philipp. XII. cædem ab Antonio fibi metuens, ait: *nunquam profeta a me sacrilegas manus atque impias abfirabit.* ARNOBIUS adversus Gentes lib. 4. m. fol. 140. sacrilegæ mentis esse dicit, insignibus maledictis eujsupiam famam carpere.

tur, legendo Tractatus Acatholico-
rum de Jure Criminali scribentium,
oppositas doctrinas confundat, scien-
dum est, per sacrilegium proprie &
strictè dictum apud illos intelligi fur-
tum rei sacre, ita ut furtum a sacrile-
gio tantum distinguant quoad mate-
riam ablatam, & graviorem poenam.
Ex ipsorum igitur sententia Sacrile-
gium est contrectatio fraudulosa rei sa-
crae lucri faciendi animo facta.

§. 237. In dubio autem, quænam poene
res dicantur sacrae, non licet insistere antiquio.
textibus Legum Civilium, cum Ro-^{res,}
mani Ethnici pro sacris habuerint,
quæ inter Christianos hoc nomen
non merentur. Id tamen notandum,
istis Legibus distingui inter Sacra
publica & privata: pro sacrilegis ha-
bent, qui publica sacra compilaverunt:
at qui privata sacra, vel ædicularas incu-
stoditas tentaverunt, amplius quam fures,
minus quam sacrilegi merentur 34.). Sa-
crilegi autem Jure Digestorum capite
puniuntur 35.). Jure Codicis Impe-
ratores magis erant solliciti de sua

T Maje-

34.) L. 9. §. 1. ff. ad Leg. Jul. peculat.

35.) L. 9. princ. ibid.

De Judic. Crim.

Majestate , cuius violatio aut contemptus pro sacrilegio habebatur. Sic dicitur 36.) Sacrilegium committi ab his , qui temeraria usurpatione Principum statuta violare tentant: item qui in dubium revocant , an dignus sit , quem Imperator ad dignitatem aliquam elegerit 37.). Quia autem statuunt Imperatores pro conservanda propria Majestate , multo magis statuta volunt pro reverentia Divini Numinis. Hinc Sacrilegi dicuntur , qui *divine legis sanctitatem*, *aut nesciendo omittunt* , *aut negligendo violent* 38.): item qui confugientem ad sanctam Ecclesiam inde propria auctoritate abstrahunt 39.).

§.238.

36.) L. ult. C. de privileg. eor. qui in Saero palat. milit.

37.) L. 3. C. de Crim. Sacrileg. Ne occasio fit saepius incidendi in hanc speciem Sacrilegii , hinc qui assumuntur ad supremum Tribunal Cæsarei Consilii Aulici , debent se Examini subjicere , & Acta Causæ definitive corclusæ absque alterius opera referre. Vid. Ordinatio Consil. Aul. Cæs. tit. I. §. 3. in fin. quæ additio est nova.

38.) L. I. C. de crim. sacrileg.

39.) L. 2. C. Ibid.

§ 238. Deveniendo ad recentiores *Et recentiores Leges, Constitutio Criminalis CARO-*
tiories *li V. quæ* *hodie in Judiciis criminali-* *furti sa-*
bus secularibus præcipuam autorita- *crilegi:*
tem *habet*, *adhibet* *distinctionem*
furti ex Jure Canonico, *scilicet* *quan-*
do *aufertur* *res sacra* *ex loco sacro*; *vel*
res sacra *ex loco non sacro*; *vel*
denique res non sacra ex loco sacro.
De *hac ultima specie Leges Civiles*
statuunt, *res privatorum*, *si in ædem*
sacram depositæ, *subreptæ fuerint*,
furti actionem, *non sacrilegii esse*:
pro conciliandis Legibus dici potest,
sacrilegii crimen tunc esse, *quando*
ad auferendam rem profanam janua
templi, *aut Sacristiæ violenter ef-*
fringatur, *vel mala arte & prohibitis*
instrumentis, *aperiatur* ⁴⁰). *Ejus-*
modi *furtorum exempla varia refe-*
runtur *in Legibus*, *addita determi-*
natione pœnæ. *Si quis surripit Hie-*
rothecam, *cui consecrata hostia est*
inserta, *pœna ignis in sacrilegum*
furem constituitur: *qui alia vasa sa-*
gra, *calices*, *patenas*, *reliquiarum*
capsas cum vel sine reliquiis aufert,
pro qualitate rei vel vivus exuritur,

T 2 vel

40.) *Constit. Crim. Carol. art. 174.*

vel furca suspenditur , vel perpetuo exilio mulctatur. Qui ceram , mapas , eleemosynas , & similia ex templo sine effractione aufert , puniendus est , sicut fur rerum profanarum , ita tamen ut furta ex templo facta non tam facile clementiam seu mitigationem poenæ impetrant , ac alia furta profana 41.). Imperatores SEVERUS & ANTONINUS quemdam Clarissimum Juvenem , cum inventus esset arculam in templum ponere ; ibique hominem includere , qui post clausum templum de arca exiret , & de templo multa subtraheret , & se in arculam referret , convictum in Insulam deportaverunt 42.).

Et alio- §. 239. In Jure Decretalium Sacrum sacrilegium dicitur violatio rei sacrae publica autoritate ad Dei cultum destinatae. Hæc sacrilegii qualitas potest afficere varia crimina , quando committuntur cum violatione Ecclesiistarum aut rerum sacrarum. Unde redibit infra sermo de ejusmodi criminibus. Bene observandus est textus 43.) , ubi statuitur , quod Ecclesiistarum

41.) Ibid.

42.) L. 10. §. 1. ff. ad Leg. Jul. pecul.

43.) C. 8. de for. comp.

fiarum Rectores malefactores suos, qui sacrilegi sunt censendi, possint, sub quo maluerint, Judice convenire; id est, quod crimina, quæ juxta dicta rationem sacrilegii induunt, sint mixti fori 44.). Tales malefactores sacrilegi censentur invasores rerum, quæ Ecclesiis pro remedio peccatorum collatae sunt, vel relictæ, aut eis justo alio modo acquisitæ, quæ aliis usibus applicari valde iniquum est 45.). Communis sacrilegi poena est, ut sciat, se communione privatum 46.), ita ut post trinam admonitionem, si legitime non satisfecerit, publice vitandus denuntietur 47.).

T 3 TITU-

44.) Vid. BARBOSA & FERMOSEN. ad diet. C. 8.

45.) C. 16. de for. comp.

46.) C. 21. XVII. q. 4.

47.) Impias quasdam profanationes sacrorum in templis Protestantium refert LEYSERUS Vol. 9. specim. 620. ex Theatro Europæo tom. 12. ad ann. 1681. fol. 385. item ineptas rationes afferendi Clericis bona superflua absque sacrilegio ex FRIDERICO II. & PAULO SARPIO.